

Renovantur Articuli publicarum Regni Constitutionum, super rerum Ungaricarum gubernatione et proventuum Regni administratione.

A r t i c u l u s 24.

Statuitur etiam; ut ab omni rerum Ungaricarum gubernatione et publicorum Regni proventuum administratione, externae nationis homines arceantur: Superindeque Articuli ante Coronationem ad 9. et 10. Anni 1608. editi exacte observentur. *)

§. 1. Signanter autem sancitur; ut amodo deinceps universae et singulae Tricesimae, tam trans, quam vero cis-Danubium, in quibuscunque Regni hujus Ungariae, Partiumque eidem annexarum Comitatus erectae et earum universi proventus, non ad Cameram Austriacam (prout hactenus factum est) sed ad Ungaricam Poseniensem administrantur.

Oblatio Dicae seu Contributionis a Portis praestandae et in duos Annos impositae.

A r t i c u l u s 32.

§. 3. In Slavonia tamen dimidium solvent et in usum illorum Confiniorum convertent. **)

Salarium pro Conservatoribus Sacrae Regni Ungariae Coronae destinatur.

A r t i c u l u s 34.

In Slavonia autem florenom unum; pro hac vice manibus Egregii Leopoldi Pek Perceptoris (quia ratione officii Perceptoratus, nomine salarii habebit florenos Ungarical. Quingentos) in Anno praesenti quidem ad Omnium Sanctorum; in subsequentibus Annis autem ad Nativitatis Beati Joannis Baptistae affutura festa assignandos.

Super Diplomate a Sacra Caesarea Regiaque Majestate Statibus et Ordinibus Regni Slavoniae concessio.

A r t i c u l u s 49.

Recognoscunt insuper Status et Ordines; Sacratissima Caesarea Regiaque Majestas tempore felicis inaugurationis suae in Regem Ungariae, Statibus et Ordinibus Regni Slavoniae quam benignum Diploma elargiri dignata est.

§. 1. Quod quidem Diploma per suam Sacram Majestatem in omnibus suis punctis, clausulis et Articulis observatum iri, iidem Status et Ordines nullatenus ambigunt: ***)

§. 2. Id quod sua Majestas etiam sub hac Diaeta benigne declaravit.

*) Vide An. 1741. art. 14.

**) Allegatur; An. 1630. art. 5. An. 1635. art. 8. An. 1647. art. 36. Denique An. 1715. art. 113.

***) Renovatur praesens art. An. 1630. a. 25. §. fin. Allegatur; An. 1635. a. 39. Et An. 1638. a. 22.